DONELLVS ENVCLEATVS,

SIVE

COMMENTARIORVM HVGONIS DONELLI DE IVRE CIVILI IN COMPENDIVM ITA REDACTORVM,

VT VERVM NVCLEVM CONTINEANT, IVRÍSQVE artem, quæ amplo verborum cortice in illis tecta, apertiùs exhibeant.

PARS ALTERA

Iuris obtinendi rationem XII. libris complectens.

Acceſſerunt NOTATA, *quibus ſeorſim partim plurima omiſſa, ad hodiernam pleráque iudiciorum faciem & formam, vſumque huius æui accommodata ſupplentur, partim quoque aliorum, idem cum* DONELLO, *vel diuerſum ſentientium, rationes, pari breuitate excerptæ, referuntur & expenduntur.*

Authore OSVALDO HILLIGERO Fribergenſe, (Authore damnato, & hæc pars ipſius prohibita, ſed cum expurgatione permiſſa.)

Subiecti ſunt Indices rerum, verborum & capitum; tum locorum iuris, cum primis aliorúmque explicatorum, & illuſtratorum, &c. locupletiſſ.

LVGDVNI,

Sumptibus ANTONII PILLEHOTTE, ſub ſigno Sanctiſſimæ Trinitatis.

M. DC. XIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. IOANNI GEORGIO, DVCI SAXONIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ, BERGÆ, S. ROM. IMPERII

Archimarſchalco & Electori, Landgrauo Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Burggrauio Magdeburgi, Comiti Marcæ & Rauensburgi, Dynaſtæ in Raueſtein, &c.

Domino meo clementiſſimo.

DE immenſa librorum copia numeróque pené innumero quibus hoc ſæculo præcipuè auguſtiſſ. Iuris diſciplina abundat, Sereniſſ. Princeps Elector Domine Clementiſſime, non vnis, inter eius peritiam profitentes, variatur ſententiis. Quibuſdam ſibi de eo oppidò gratulantibus, nec in minimâ felicitatis æui noſtri parte ponentibus. Siue enim Scholam, aiunt, ingrediamur, & quæ ad ſtudioſorum inſtitutionem à præcipuis noſtri ſuperiorisque, per orbem Europæum florentiorem, ſæculi viris edita ſunt ſpectemus, ita omnes Iuris apices & articuli diſcuſſi: legum intimiores ſenſus indefeſſa & vigili curâ eruti, occultæ & abditæ doctrinæ illuſtratæ; quæ obſcura anteà & inacceſſa, ob antiquitatum ignorationem & doctrinæ politioris inopiam; nunc eiuſdem fido ſubſidio explanata, clara apertáque reddita: Ita denique pleraque omnes prudentiæ ciuilis partes pertractata & perluſtrata, vt vix inuenturi ſint poſteri, quod non maximum diligens præſumpſerit ſagacitas. Siue ad forum accedamus & quæ ad iudiciorum vſum ab eiuſdem peritiſſimis edita proditáque ſunt inſpiciamus; tot in medio eſſe comperimus obſeruationum & animaduerſionum inſigniorum centurias, tot rerum ſupremis in conſeſſibus iudicatarum chiliades; tot cauſſarum forenſium diſceptationes; tot experientiſſimorum pragmaticorum, quin & Collegiorum Iuriſprudentiſſimorum reſponſa; tot denique in vtramque partem arbitratas, exactáque lima perpolitas & elaboratas quæſtiones: Vix vt caſus dubioſior occurrere poſſit cuius tractationem & definitionem inde depromere peruestiganti non liceat: Contrà aliorum de multitudine illâ ſeueræ querelæ audiuntur, nullo grauiori morbo quam mole iſta librorum immodicâ legitimam hanc ſcientiam laborare cenſentium, cum nec euoluendis iis hominis vita, quantumuis viuacioris, ſufficiat. Pluréſque adeò ſcripturiendi libidine prurientes, Muſis & Apolline nullo (quod ait ille) ſua ediderint, edántque indies. Plures ambitioſis inſcriptionum phaleris ſpecioſiſque titulis ſua venditantes theſauróſque ingentes polliciti, carbones oſtentent. Crambe præterea inquiunt hi multoties repetitâ fruſtra membranas occupari, & immania volumina confici, vt quos interpretes (Alciati verba ſunt) vix Bibliotheca capit, ſi exemplo veterum ſcriberetur, enchiridion comprehenderet. Ex iſto denique ſcribendi cacoëthe, vaſtum opinionum pelagus exortum eſſe, quod indies magis magiſque in ſaluberrimam hanc artem exundet, vt metuendum ſit, ne breui, ni validiori vi tempeſtiuiùs occurratur, vniuerſam obruat. Quando & diſcentes & qui iurgiis dirimendis præfecti, in tantâ ſententiarum diſſenſione & diſcrepantibus quæ communis vel magis communis ſit atteſtationibus, in incerto & ancipiti fluctuare ſæpius contingat. Vnde multorum feruidis votis nouus Iuſtinianus expetitur, qui tenebricoſas illas nimiúmque luxuriantes ſiluas recideret, ſuíſque priſco nitori & luci reſtitueret. Non deſunt denique qui Veteriorum Iuriſconſultorum Papiniani, Vlpiani, Scæuolæ aliorúmque vigilias intercidiſſe dolent, iacturam eorum acerbis veluti lacrymis deflentes, quod quaſi Diomedæâ quadam permutatione, turbulentiores noſtratium ſucceſſerint. Atque hæc & alia id genus hinc inde à diuerſis proferuntur. Quorum contentiones dirimere, nec huius loci, nec noſtri impræſentiarum inſtituti. Attamen cum nouum Iuris ſyſtema, cui immota conſiſtat auctoritas ad inſtar illius quod Iuſtinianus reliquit, in hoc rerum ſtatu optare procliuius ſit, quàm ſperare integrum, de communi bono benè mereri videntur, qui Iuri ſiue vniuerſo, ſiue partibus illius quas expoliendas ſibi ſumunt, methodum, modúmque docendi exquiſitiorem ceu lumen adhibent: Quique non in verborum ſolum decipulis magnas pugnas concitant, & omiſſâ hyperâ pedem ſectantur; nec ingenij fiduciâ temerariâ, ea quibus recepta conſiſtit interpretatio

LIBER DECIMVS-SEPTIMVS.

CAPVT I.

Iuris obtinendi ratio.

FRVSTRA aliquid noſtrum, nobiſve debetur, niſi idem conſequi liceat. Expedita itaque priori parte, iuris noſtri cognitione, SEQVITVR OBTINENDI RATIO, IN QVA LEGVM ET IVRIS VIS AC EFFECTVS[a] vbi conſultiùs equidem omnia prius verbis quàm iure experiri ex illo Terentij leuiculè mutato *in Eun. 4. ſc. 7.* [b] ob ancipitem iudiciorum aleam multáſque & magnas moleſtias & ſumtus, [c] ſed hæc ratio conſilij eſt, non neceſſitatis. [d] VIS autem ILLA TRES HABET LEGES: 1. NE PER QVEMLIBET adhibeatur, ſed magiſtratum. 2. Vt ordine ac viâ, cauſſâ cognitâ, IVDICIO ritè conſtituto, 3. Vt vis ſit ciuilis REMEDIIS IVRIS ad exſecutionem proditis. Quæ tria *in l. exigentes 9. C. de O. & A. l. 1. C. de exſ. rei iud.*

NOTATA.

[a] Vnde per magiſtratus qui iura regunt, effectus rei accipi dicitur *l. 2. §. poſt originem 13. de O. I.* Et continetur in ſeq. iudiciorum tempe, ſeu actionum inſtitutione vſus & praxis ſuperiorum, ad quam cen finem & metam illa tendunt *Mynſing. in rub. I. de act. n. 4. Gomez. in pr. I. eod. n. 13. & ſeq. Tomacaſſa ibid. n. 90. Valt. 2. 1. & 2.* [†] De iudiciorum antiquitate & vtilitate vid. *Rob. Maranta in ſpecul. p. 3. Nicol. Vander. lib. 2. diſput. ciuil. c. 5. Ioh. Mureti vol. 2. Orat. 18.* [b] Verecundia debitoris non temerè & ſubitò iudicio pulſanda. Quia vt *Cic. pro Quint.* videndum quamprimum & quàm minimâ cum moleſtiâ tota res transfigatur. Ac iniquè eſt, hominem ſtatim in ius rapere cum res forſan amicâ compellatione vel compoſitione obtineri poſſit, *Fr. Pollet. lib. 5. hiſt. fori c. 12. pag. 178.* Quare denunciationibus priùs conueniendi debitores, *vt loquitur l. 10. C. de pig.* Vbi non rectè *Cuiacius 5. obſ. 31.* denunciationes accipit ſolennes & teſtatas de reluendo pignore, quas præcedere illius venditionem oportet, quando vel conuenit, vel aliàs id actum ne pignus diſtrahatur *iuxta l. 4. de pig.* Neque enim de vendendo pignore ibi agitur, ſed de vindicando ab extraneo poſſeſſore, *Hot. in d. l. 10.* Sed conuentio debitoris priuata ſignificatur. Qui ſi præſens ſit humanitatis ratio ſuadet eum priùs interpellari de ſoluendo debito, quàm realis actio intentetur cõtra poſſeſſorem. Nam ſi is ſoluet eadem operâ conſulitur creditori, & poſſeſſor non inquietatur *Donneller ad d. l. 10.* Quod ſi itaque quandoque humanum eſt tentare, num res per alium ſalua eſſe poſſit, ne alius iudicio pulſetur *d. l. 10.* magis conuenit ipsũ reum priùs interpellare. Quò facit *L. 13. pr. ibi quo de re volo cũ Hibero loquaris. de ſeru. vrb.* vnde *Cuj. 18. obſ. 38.* huiuſmodi monitionibus Iuriſconſultos operam dediſſe, & auctoritate eorum, idem quod iudicio impetratum ſæpè fuiſſe notat. Neque enim illa verba ſunt Iuriſconſulti, ſed conſulentis *Cui. d. l. Duar. 1. diſp. 28.* [c] Facit *L. 6. de min. l. 7. §. 1. de tribut. act.* Hinc *Cic. 2. off.* eſſe non modo liberale nonnunquam de iure ſuo cedere, ſed etiam fructuoſum. Comes enim litis, non minus atque æris alieni, miſeria ex ſententia Chilonis aureis litteris Delphis conſecratâ *Plin. li. 7. c. 32.* Et *Neuiz. li. 6. Sylv. Nupt. n. 8.* Mediolani lapidi marmoreo ſub adſcenſum palatij hæc inſculpta legi memorat: In controuerſiis cauſſarum capitales inimicitiæ oriuntur, fit amiſſio expenſarũ, labor animi exercetur, corpus quotidie fatigatur, multa & inhoneſta deinde crimina conſequuntur, bona & vtilia opera poſtponuntur. Et qui ſæpe credunt obtinere, frequentiùs ſuccumbunt. Et ſi obtinent, computatis laboribus & expenſis nihil acquirunt. Meritò itaque vituperanda contentioſa peruerſorum hominum, litigãdi conſuetudine, quod *Marcel. de Aegyptiis* prodidit, litiſſimorum cupiditas, *vid. Tiraq. de retr. lignag. §. 8. gl. 7. n. 20. & ſeq. Mieg. Heſſ. tr. li. 2. c. 1.* Commendanda verò verecundia lites execrantiũ *l. 4. §. 1. de alien. iud. mut. ca.* Nec inde tamen, vt nec ex dicto Apoſtoli *1. Cor. 6. v. 1. & ſeqq.* omnem iudiciorum vſum, vel viro bono vel homini Chriſtiano, interdictum eſſe, huicque etiam à iuſtâ contentione abſtinendum eſſe rectè infertur. Nam vt *Viſſ. in Proœm. I. de act. n. 17.* nõ quia odores litium inanium laudantur, iuſti litigatores reprehendendi, cum & contraria eſſe poſſint, quorum neutrum reprahenſioni ſubiaceat, vt ex eo, ait, quod virginitas laudanda, non ſequitur nuptias improbãdas, *vid. Greg. 47. Synt. 1. n. 4. & ſeq.* [d] *S. appellantur 35. in f. I. de act. Cui. 5. obſ. 31.* Et de vrbanitate fieri debere interpellationẽ *gl. & Dd. vulgò ad d. l. 10. C. de pig.* Tametſi omiſſâ eâ actor expenſas in citationem factas, ſi citatus ſoluere paratus ſit repoſcere nequeat *c. nouit de iud. Kerbach. Proc. tit. 10. n. 14. Arnold. ab Hairſolte in Proleg. de act. in genere n. 84. Arnold. de Reig. in Theſ. iuris fol. 227.* Sed etſi boni iudicis ſit omni cura minuendis litibus ſtudere *l. 21. in f. de reb. cred.* & amicab. compoſitionem inter partes tentare *c. Vlt. §. 1. & 2. X. 2. & ſimil. poſt alios Vveſ. conſ. 21. n. 1.* nolentes tamen tranſactionem inire iure communi non compellit. *Reig. de Theſ. fol. 100. & fol. 101.* Neque mulctam quam *Plato 12. de R.* infligit iis qui arbitrio domeſtico morem gerere cunctantur mores imperij admittunt, niſi compromiſſum, *vt Pollet. lib. 5. hiſt. fori cap. 12. pag. 178.*

CAPVT II.

Vis & auctoritas priuata.

NVLLI igitur LICET SVA VI AVFERRE *l. exſtat 13. Quod met. ca.* pœnâ legis Iuliæ de vi *l. 12. §. vlt. Quod met. ca.* vt & ius crediti amittat, & debitor id quod ablatum condict. ex lege repetere poſſit *d. §. vlt. d. l. 13.* Et ſi rem inuaſit, ſiquidem ſuam, dominio cadit, ſin alienam, eâ reſtitutâ etiam æſtimationem perdat *l. 7. C. Vnde vi. §. 1. de vi bon. rapt.*[a] Meritò. Ne quiſquam ſuæ rei iudex ſit *L. 17. de iud.* quod exemplo pernicioſam & non admitti publicè intereſt: tum ne tenuis vitæ homines, ſub prætextu iuris & debiti, potentiorum iniuriis vexentur, tũ vt factionib. & ſeditionibus ac inteſtinis diſcordiis, certiſſimæ Reip. peſti, anſa præcidatur. Quare his euitandis iudiciorum vigor, iuriſque publici tutela conſt. [b] *L. nullus 14. C. de iud. l. non eſt ſingulis 176. de R. I.* NISI NECESSITAS ANTICIPARE COGAT, quoties accepto vulnere ſerũ magiſtratus auxiliũ.[c] SIC VIS PRIVATA CONCESSA ET AD DEFENSIONEM SVI. Vim enim vi repellere omni iure [d] licet *l. 3. de I. & I. l. 45. §. pen. ad l. Aq. l. 1. §. 27. de vi & vi arm. l. 1. Cod. Vnde vi l. 1. Cod. Quando lic. vnic. ſine iud. vbi ratio. Facit L. vlt. in fin. Cod. in quib. ca. in int. reſt.* Nec tantum corpori intentatam [e] ſed & in res noſtras illatam, *d. leg. 1. §. 27. D. d. leg. 1. Cod. Vnde vi* [f] Duæ tamen hic cautiones 1. Vt adhibeatur propulſandi cauſſâ, non vlciſcendi *d. leg. 45. §. pen.* [g] Non igitur ſi fugientem perſequatur [h] 2. Vt inſit

INDEX.

Vulgaris, & recepta lectio nouè adſtructa in

L. 17. §. 3. & l. 22. de pact. 21. 4. *L not. p.* 256
l. 4. de offic. Aſſeſſor. 18. 2 *D d*
l. 1. §. 3. de poſtul. 18. 3. *S*
d. l. 1. §. 5. verſ. ſaxum. d. c. V
l. 20. de his, qui not. infam. 18. 8. *X*
l. 28. de Procur. 18. 14. *O* & 18. 18. *D*
l. 34. eod. 18. 15. *H*
l. 60. d. tit. 22. 4. *R*
l. 6. §. 5. Quod cuiuſq. vniuerſ. 18. 13. *Cc*
l. 3. de in integr. reſtitut. 21. 4. *E*
l. vlt. d. tit. 21. 11. *O*
l. 57. de iudic. 17. 26. *K*
l. 25. §. 6. de petit. hered. 19. 14. *L*
d. l. 25. §. 12. d. c. T not.
l. 1. §. vlt. Si pars hered. pet. 19. 16. *E*
l. 9. de rei vindic. 20. 3. *D*
l. 13. ad exhibend. 20. 9. *T*
l. vlt. pr. de inrciur. 24. 15. *C*
l. 1. de in lit. iur. 26. 9. *H*
l. 2. pr. Quibus ex cauſ. in poſſeſſ. 23. 11. *I*
l. vlt. pr. de reb. auct. iud. poſſ. 23. 12. *G*
l. 9. quæ in fraud. cred. 23. 18 *A a*
l. 7. §. 3. de exc. rei iudic. 22. 5. *G & K*
l. 34. §. 1. de O & A, 21. 3 *Q paſſim, maximè pag.* 213. *& ſeq.*
l. 51. d. tit. 19. 1. *H*
l. 2. ſtellionatus, 18. 8. *R*
l. 2. C. de precib. Imperat. offeren. 21. 8. *E*
l. 14. C. de infam. 18. 8. *S*
l. 2. §. 2. C. de iureiur. propt. calumn. 24. 3. *F, p.* 227
l. 1. C. de ord. iudic. 17. 9. *T*
l. 5. C. Quomodo, & quando iudic. 17. 26. *O*
l. 12. C. de ſentent. & interloc. 28. 3. *M*
l. 3. C. de re milit. 18. 8. *Q*
Princ. I. de act. 19. 1. *H*
§. 2. I. de act. 20. 4. *A*
§. 20, eod. 19. 2. *G*
§. 4. I. de ſatiſd. 18. 14. *E*

Tribonianus à corruptionis crimine purgatus.

l. 21. §. 1. de pact. 22. 4. *C*
d. l. 21. §. 2. in fin. d. c. H
l. 25. §. vlt. & l. 26. d. c. E
l. 1, §. 6. verſ. vlt. de poſtul. 18. 3. *D d*
l. 1. §. 10. d. tit. 18, 8. *Z*
l. 11. §. 3. verſ. ſi quis, de his, qui not. infam. 18. 7 *C, pag.* 82
l. 27. §. 1. de Procurat. 18. 14. *D*
l. 43. pr. de Procur. 18. 11. *Q*
l. 24. pr. de minor. 21. 7. *G*
l. 25. pr. de inoffic. teſtam, 19. 4. *K*
l. 25. §. 15. de petit. hered. 19. 14. *V*
d. l. 25. §. 16. d. c. S
l. 68. de rei vindic. 20. 6. *G pag.* 182. *& ſeq.*
l. 51. de iureiur. à verbis, ſed hæ conſtitut. 24. 17. *G*
l. 3. de in lit. iur. verſ. ſi fortè, 26. 9. *G*
l. 5. §. 2. d. tit. 26. 11. *E*
l. 5. §. 3. eod. d. c. K, L
l. 16. §. 3, de pignor. verſ. ſi verò dolo, &c. 26. 8. *B*
l. 20. in fin. de re iudic, 27. 9. *G*
In l. 36. §. 2. de petit. hered. nullum eſſe vel Iuriſconſulti, vel Tribonian. lapſum, 19. 14. *X*
Pr. & §. 4. I. de ſatiſd. 23. 9. *D*

FINIS.

Plures alij loci peculiari à nobis vel explicatione, vel illuſtratione donati, ad centum quinquaginta omiſſi, paſſim legenti occurrent.

Expurgose este libro conforme al expurgatorio nuevo del S.to Officio de la ynquisicion. Yo don [illegible] de Lazcarra comis.o del Santo Off.o en [illegible] a [illegible] de Hebrero 1621

D. [illegible] de Lazcarra